

DEO justificationis, quomodo justitia Christi nobis applicetur, & ad nos derivetur, ibi Fides sola, nec quicquam aliud ubivis locorum nominatur & exprimitur, Ioh. 3. v. 16. Rom. 1. v. 17. & 5. v. 1. Nec ratio dari potest ulla, cur non, si bona opera quoque cum fide conjungi debeant, illa quoque similiter expressa & adjuncta inveniatur: ubi tamen contrarium deprehenditur, quod nimirum manifesta inter fidem & opera facta antithesi, hæc è circulo justificationis & salvationis penitus removeantur.

LXI. Sic enim Paulus ait: Rom. 3. v. 2. Ex operibus Legis non justificatur omnis caro coram DEO & v. 28. Colligimus fide justificari hominem, $\chi\omega\rho\iota\varsigma \epsilon\gamma\gamma\omega\nu \nu\omicron\mu\omicron\varsigma$ absque operibus Legis Roman. 4. v. 5. Ei qui non operatur credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justiciam: Et illustris est sententia Gal. 2. v. 16. Scimus quod non justificetur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi: Quicquid igitur Fides non est, illud etiam $\omicron\epsilon\gamma\alpha\nu\nu\iota\kappa\omega\varsigma$ non justificat.

LXII. Quod si præter Fidem etiam Charitate & reliquis operibus justiciam & salutem consequeremur, utique non tantum ex Evangelio, sed simul etiam ex Lege esset justificatio & Salvatio: Sicut enim Evangelium est Fidei Roman. 1. v. 16. 17. cap. 10. v. 8. ita lex non est ex fide, Gal. 3. v. 12. sed est norma operum dilectione summam comprehensa Roman. 13. v. 10. At in Lege nemo justificatur apud DEUM Actor. 13. v. 38. Gal. 3. v. 11. adeo, ut ne quidem data sit lex, quæ possit vivificare Galat. 3. v. 21. E.

LXIII. Quæ de causâ etiam Scriptura Fidem justificantem & Legem in articulo Iustificationis non componit, sed similiter sibi invicem opponit. Roman. 4. v. 14. Si qui ex Lege, i. e. qui ad legem pertinent, hæredes sunt exinanita est fides & abolita promissio. Gal. 3. v. 11. 12. Quod in Lege nemo

2.
Scriptura Fidei non adjungit opera

3.
Opera removeantur à fide

4
Salus non est ex Lege sed ex Evangelio.

5.
Lex opponitur fidei.